



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 361. Usque Ad Annum 395

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1758

VD18 90117786

§. 46. Palladii Profectio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66032)

S. Epiphanii, & Territorio Eleutheropoli-
tano, non vero Æliæ, seu Jerosolymæ fue-
rit collata; nec ei defectum ætatis objici
posse, cum esset annorum triginta. Tum
subjungit: *Alterutrum faciant, necesse
est! si boni sumus, sinant nos in pace vive-
re! si mali, cur Communionem nostram
expetunt? nuper postulavit, & obtinuit*
etiam, ut in exilium mitti juberemur;
utinam concessisset Deus, ut id etiam effe-
ctui dare potuisset! fundendo sanguinem,
& contumelias patiendo, Ecclesia fundata
est. Hæc S. Hieronymus in causa con-
tentionis cum Joanne Jerosolymitano
scripsit. Accusabatur, quod epistolam
S. Epiphanii ad Joannem non fideliter
transtulisset; ut hanc notam a se amoli-
retur, epistolam scripsit ad Pammachium,
in qua docet, optimum interpretandi ge-
nus esse, non scrupulose verba reddere,
sed accurate sensum exprimere. At hæc
epistola duobus annis serius scripta est.

Sæculum IV.
A. C. 393.

nempe Jo-
annes.

Ep. 101. de
opt. gen. in-
terpr.

§. XLVI.

Palladii Profectio.

Ruffinus, & Palladius, qui S. Hierony-
mo Origenistarum Duces sunt, tunc
in Palæstina morabantur. Ruffinus illuc
cum Melania venerat jam anno 373. ut
dictum est, & ibi annis viginti quinque
permansit. Olim S. Hieronymi amico-
rum intimum Origenis defensio separa-
vit,

Hier. ep. 60.
c. 4. 5.

Sup. XVII.
§. 6.

sæculum IV. vit, nec infensorem exinde adversarium
 A. C. 393. habuit. Palladius natione Galata erat;
 Pall. Lausf. annos natus viginti Alexandriam venit,
 c. 118. Theodosio Consulatum secundo geren-
 Pall. Lausf. te, id est, anno 388. primo in Magistrum
 præf. & init. incidit Presbyterum Isidorum, tunc an-
 sup. l. XVI. num vitæ septuagesimum agentem, qui
 s. 35. & quindecim alios supervixit usque ad
 annum 403. Idem est Isidorus, de quo
 Lausf. c. 2. S. Hieronymus, queritur. Isidorus Pal-
 ladium cujusdam Anachoretæ, cui nomen
 Dorotheus, curæ commisit, qui ab annis
 sexaginta in caverna prope Alexandriam
 vivebat; is Palladio præcepit, ut secum
 tribus annis maneret, & affectus suos do-
 mare disceret. Palladius, transactis apud
 hunc Senem annis duobus, & medio,
 ægrotavit, eumque reliquit, ut vitam mi-
 nus rigidam duceret. Ad Monachos
 c. 7. montis Nitriensis invisens, ibi uno anno
 c. 20. permansit; inde in Desertum Cellarum
 delatus, tribus annis conversatus est S.
 Macario Alexandrino, qui Presbyteri
 Rosw. p. 721. munere fungebatur. Ibi Evagrium ex
 Ponto, aliosque quinque Monachos alie-
 nigenas noscere cœpit. Novem annis
 Palladius in Cellarum deserto ordinariam
 sedem fixit, at hoc tempore non nun-
 quam peregrinabatur; Monasterium Sce-
 thiense adivit, Monachum Senem, cui
 nomen Pachon, consulturus; inde in Pa-
 Lausf. c. 77. læstinam transiens, Bethlehemi apud
 quem.

quemdam Monachum, nomine Possido-
 nium, mansit, rursusque in monte Oliva-
 rum apud Innocentium Presbyterum.

S. Epiphanius insinuat, Palladium tunc in
 Palæstina extitisse, cum ipse ad Joannem
 Jerosolymitanum scriberet, nempe an-
 no 392.

Evagrium ex Ponto, cujus regimini
 Palladius se commiserat, etiam inter præ-
 cipuos Origenis Sectatores numerabant.

Eum S. Basilus Lectorem ordinaverat, &

S. Gregorius Nyssenus Diaconum. Cum

Jerosolymam venisset, ibi invenit Mela-
 niam Seniore, cujus consilium ample-
 xus, Monachum induit circa annum 384.

inde in Ægyptum migrans, in monte Ni-
 triæ, & in Cellis moratus est. Eum

magnus vitæ rigor commendabat; cum-
 que celeriter, & venuste litteras efforma-
 ret, panem transcribendis libris lucraba-
 tur, simulque evasit doctissimus. In so-
 litudine obiit, annos natus quatuor su-
 pra quinquaginta. Is auctor creditur li-
 bri secundi de vitis Patrum, cujus initio

historia S. Joannis Ægyptiaci ponitur, in
 quo ferme semper more testis præsentis
 loquitur. Hujus operis in latinum trans-
 latio Ruffino tribuitur, atque ipsius Eva-
 grii, quod ibi insertum legitur, Elogium;
 saltem istud exploratum est, Evagrium,
 Palladium, Albinum, Ammonium, &
 alios tres Monachos, nempe septem, ce-
 leber-

Sæculum IV.

A. C. 393.

c. 103.

Pall. Laus.

c. 86.

c. 27. Rosw.

p. 479.

Sæculum IV. leberimum S. Joannem Ægyptiacum in-
 A. C. 393. visisse, cum a Jerosolyma venirent, eos-
 que ab ipso Imperatoris Theodosii victo-
 riam de Eugenio Tyranno reportatam di-
 dicisse, eadem die, qua bonus nuntius
 Alexandriam allatus est, etsi Monasterium
 S. Joannis, prope Lycum, seu Lycopo-
 lim in Thebaide situm, aliquot dierum
 itinere distaret.

§. XLVII.

Bellum Theodosii contra Eugenium.

Soz. VII. c. 72. Sup. §. 34. Eutropius, ab Imperatore ad S. Joannem
 Ægyptiacum missus, ut e solitudine
 egrederetur, persuadere non potuit; at
 prædixit vir Sanctus; Theodosium in hoc
 bello Victorem futurum, majori tamen
 humani sanguinis impendio, quam in bel-
 lo contra Maximum; ab ipso Tyrannum
 vita exuendum, & postquam de hostibus
 triumphasset, in Italia rebus humanis ex-
 cessurum, relicto filio, qui Occidentis
 Imperium obtineret. Ubi Eutropius
 hoc responsum attulit, Imperator omnes
 cogitationes ad bellum convertit, nec ar-
 ma tantum expediebat, sed magis operi-
 bus pietatis, jejuniis, orationibus, & vi-
 giliis victoriam a Deo efflagitabat. Cum
 Episcopis, & populo omnia orationis lo-
 ca visebat, coram Martyrum, & Aposto-
 lorum tumulis prosternebatur, eorum in-
 tercessionem, certissimum belligerantium
 auxi-

*Philost. XI.**c. 2.**Id. c. 33.*